

in Persona, et mediate in natura divina, et Filius ut terminus immediatus unionis est subjectum, et ut in natura divina terminus. Ex quo aliqui valde æquivocati sunt, existimantes, quod terminus mediatum qui est natura divina, seu Deus secundum rationem absolutam, est terminus prædestinationis; qui sensus nunquam fuit a Thomistis traditus, et est falsus; tum, quia est contra verba Apostoli dicentis: *Qui prædestinatus est Filius Dei*, et est destruere suppositum disputationis, quæ consistit in ista propositione Apostoli, et respectu illius filiationis quæritur subjectum; tum, quia est expresse contra S. Thomam in his duobus articulis, et in utroque sententiarum utrobique, dist. vii et x. Per plures quæstiunculas disputans hanc materiam semper dicit, quod terminus est Filius, specialiter in illo loco in iii, dist. x, quæst. iii, quæstiuncula prima ad primum ubi inquit: « Quod prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam unionem, et filiatio sequitur ad unionem. » Et hoc est ad ponendum subjectum in primo effectu, et terminum in secundo, ut infra magis declarabitur.

LXIX. Et dicti moderni ponunt in executione Filium prius incarnatum, et posterius hominem deificatum, et ordine intentionis e converso prius hominem deificatum, et posterius Filium incarnatum. In quo etiam valde deficiunt, et non consequenter loquuntur, quia in intentione est prædestinatio, et in intentione debet assignari subjectum, et subjectum semper est prius, et consequenter etiam in intentione, quia debet esse præsuppositum ad terminum; alias non prædestinabitur tamquam ad illum; ergo si hominem esse Deum est primum in intentione, tamquam primum intentum, et primo prædestinatum in

intentione, debet habere subjectum præsuppositum inclusum in illo termino hominem; ergo subjectum non est Filius factus homo, quia hoc ponitur posterius in intentione. Assignetur ergo quod est suppositum humanum, quod prædestinatur in intentione; restat recurrere ad aliquem ex modis impugnatis. Si autem dicatur, quod Filius ut homo est subjectum etiam in intentione, debet esse in intentione prius, et præsuppositum, et sic non consequenter loquuntur ponendo posterius.

LXX. Quando ergo Thomistæ dicunt, quod Filius ut primo, et immediate unitus est subjectum, non dicunt, quod ipsa natura, quæ est terminus mediatum unionis, est terminus ad quem immediatus prædestinationis, sed ipse Filius prout in natura divina, et sic loquuntur, quod Filius prout in natura humana est subjectum, et Filius prout in natura divina est terminus ad indagandam distinctionem rationis requisitam ad rationem prædestinationis, et ad rationem subjecti, et termini ejus. Quod colligunt ex hoc, quod idem Filius est terminus duplicis naturæ realiter distinctæ, et ad hoc utuntur doctrina data, quod ipse prout immediate unitus, est subjectum, et prout subsistit in natura divina, quæ immediate unitur, est terminus, ita tamen quod natura divina semper sit terminus mediatum, tam ex parte unionis, quam ex parte termini ad quem prædestinationis.

LXXI. Et quando sancti patres dicunt, quod homo factus est Deus, intelliguntur mediante Persona, sicut etiam dicunt, quod Deus factus est homo, ut Augustinus infra adducendus, et nos aliquando utimur eodem modo loquendi, sumendo Deum pro Filio, quatenus in Filio includitur.

LXII. Hoc idem aliis terminis a nobis explicabitur recolendo illam duplicem conditionem ad prædestinationem requisitam, et allatam articulo præcedenti et alias sæpe, scilicet, quod terminus conveniat ex gratia subjecto, et præcedat subjectum terminus, quia ex hac duplici conditione oritur tota difficultas hujus puncti, et quomodo utraque reperiatur in hoc modo dicendi intendimus explicare. Et quamvis istæ conditiones inter se connexionem habeant, et una ex alia per sequelam infallibilem reperiatur in re, tamen non æque faciliter una explicatur atque altera.

EXPLICATUR PRIMA CONDITIO DE GRATIA.

LXIII. Prima igitur conditio incipiendo a faciliori, est de gratia, quæ sic explicatur: Persona Filii, quæ ex vi generationis æternæ essentialiter, et connaturaliter est Filius Dei in natura divina existens, est capax esse Filius Dei etiam in natura creata, angelica, vel humana, quia possibile est, quod fiat suppositum naturæ creatæ, et tali unionem facta erit Filius Dei naturalis non solum in natura divina, sed etiam in natura creata, cujus suppositum fit. De facto autem hoc mysterium executum est non in angelica, sed humana: *Quia nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit*, et sic de facto est Filius Dei, et in natura divina, et in natura humana. In natura quidem divina naturaliter, in natura humana non naturaliter, quia a natura non habebat esse suppositum humanum actualiter, sed posse esse.

LXIV. Quod autem hoc de facto fiat, debet esse ex libera Dei volun-

tate, per quam Deus hoc beneficium contulit humanæ naturæ, et illi humanitati, scilicet, quod Filius esset ejus suppositum, et hoc non potuit non esse gratia, et maxima gratia facta, non Personæ divinæ secundum se, sed humanæ naturæ, cui ex nullo capite erat debitum tale suppositum: quod autem ex gratia convenit, ex vi prædestinationis convenit.

LXV. Ulterius hoc conjunctum ex Persona divina, et humanitate, significat hoc nomen Christus, vel iste terminus hic homo, et significatum formale est humanitas; quando igitur applicatur participium prædestinatus, appellat supra significatum formale, quia est actus animæ, qui potest ferri ad significatum materiale ratione significati formalis, et cum id quod ex vi prædestinationis applicatur subjecto, conveniat illi secundum quod participium prædestinatus illum determinat, sequitur quod terminus conveniat juxta applicationem actus prædestinationis, et quia appellat supra significatum formale, terminus applicatus ex vi prædestinationis convenit subjecto ratione significati formalis, et consequenter sequitur conditionem significati formalis. Et quia terminus non habet connexionem essentialem, nec naturalem cum significato formali, sed solum gratiosam, concluditur, quod terminus gratiose convenit subjecto. Et sic apparet quomodo Persona Filii, ut suppositum humanitatis possit esse id, quod convenit ratione humanitatis, et eo modo quo convenit per humanitatem, in quantum ipse per humanitatem est homo, et quia filiatio ratione humanitatis solum gratiose potest convenire, ideo ex gratia prout homo, et prout in natura humana est Filius Dei, idem ipse qui in se, vel secundum se, vel in natura divina erat

naturaliter, et essentialiter Filius Dei.

LXVI. Ex quo patet, quomodo gratia reperiatur ex parte subjecti, et ex parte termini prædestinationis, et semper ratione humanitatis. Ex parte subjecti quod prædestinatur, quod est hic homo tamquam subjectum cui fit gratia (ut modo dicebamus) ex parte termini, quia non prædestinatur homo ad filiationem, seu subsistentiam relativam Filii, quod idem est secundum se consideratam, sed ut gratiose conferendam, quia est ut conferenda ex vi prædestinationis, et ita ipsa filiatio, ut gratiosa est terminus ad quem prædestinatur hic homo. Est tamen dissensio, an illa ratio gratiose sit conditio, seu ratio formalis filiationis; aliqui dicunt, quod est conditio, ut inquit Asturicensis pagina 653: alii vero quod est ratio formalis, et ipse hoc secundum sequitur, et conformius videtur, quia prædestinatio gratiosa est, quæ constituit filiationem terminum, et sic esse gratiosum terminum tamquam a ratione formali habet ex gratia prædestinationis.

LXVII. Constat etiam ex dictis, quod in utroque effectu prædestinationis, primo et secundo, in executione jam explicato in utroque articulo præcedenti, et alterius statim iterum explicandum necessario propter secundam conditionem; primum scilicet esse unitum Verbum humanitati, quod explicatur per hanc propositionem: Deus est homo: secundum: Hominem esse filium, quod explicatur per hanc: Homo est filius, in utroque, inquam, reperitur ista conditio gratiæ, quia uterque est effectus prædestinationis, et consequenter uterque gratiosus, et in utroque gratia est ratione humanitatis. In primo quidem, quia fit gratia humanitati, ex eo quod Filius accipiat esse huma-

num: in secundo, quia homo constitutus per humanitatem accipit esse Deum, vel Filium Dei.

LXVIII. Contra hanc conditionem objicitur: Quia illa propositio in qua dicursus nititur, quod filiatio gratiose conveniat supposito ratione humanitatis, videtur falsa; tum, quia filiatio potius convenit humanitati ratione suppositi, quam supposito ratione humanitatis; etiam est gratia, quia suppositum illam habet ex se, et communicat illam humanitati ex gratia; tum, quia filiatio est relatio, et relatio non convenit naturæ, sed supposito, ut docet S. Thomas quæstione præcedendi, articulo iv, et infra quæstione xxxv, articulo v. Et sic non est sicut accidentia absoluta, verbi gratia, gratia habitualis, et gloria, quæ possunt convenire humanitati, et ratione illius supposito; ergo.

LXIX. Tum, quia sequitur quod divinum suppositum sit principium spirans Spiritum sanctum ratione humanitatis ex gratia. Patet sequela: Ita naturaliter secundum se considerato convenit Filio esse Filius Patris, et esse principium spirans Spiritum sanctum, et quia ex gratia factus est homo, dicitur quod ex tali gratia convenit illi ratione humanitatis quod sit Filius, quod ratione sui naturaliter conveniebat secundum se considerato; ergo similiter esse principium spirans Spiritum sanctum, quod illi secundum se considerado naturaliter convenit, conveniat illi prout humanato, vel secundum esse humanum, vel ratione humanitatis ex eadem gratia. Patet consequentia a paritate, et quia ex sacra Scriptura æqualiter potest colligi, quod in humana natura, et homo factus est principium Spiritus sancti, sicut quod est Filius Dei, in illis verbis Christi de Spiritu sancto loquentis: *De meo accipiet, et quem ego mit-*

*tam*, sicut etiam dicit: *Misit me Pater, misit Deus Filium suum, et Filium suum unigenitum, etc.* Hoc autem non conceditur; ergo nec aliud debet concedi.

LXXX. Respondetur ex dictis, quod filiatio quoad substantiam considerata semper convenit humanitati ratione suppositi, tamen in quantum gratiosa, vel in quantum subinduit formalitatem inquam gratiæ non convenit humanitati ratione sui, et supposito ratione humanitatis, quia gratia semper fit humanitati, et solum Verbum homo factum est capax gratiæ propter humanitatem.

LXXXI. Ad secundum de relatione respondetur concedendo, quod relatio conveniat supposito, seu in natura existenti; unde natura requiritur, ut relatio conveniat supposito, non ipsi naturæ, sicut filiatio adoptiva non convenit gratiæ, quæ est forma per modum naturæ dans esse supernaturale, convenit tamen supposito ratione gratiæ. Et in humana relatio filii non convenit Petro, nisi prout genito in natura; nativitas ergo, seu natura est causa ex parte fundamenti, ut filiatio conveniat supposito, ut docet S. Thomas locis citatis in objectione. Si filiatio ex gratia non convenit supposito, nisi quatenus habet naturam ratione cuius fit gratia, et hoc non est dicere, quod filiatio conveniat humanitati, sed supposito ratione humanitati, ex gratia tamen non est secundum se, et hoc propter rationem gratiæ, ut explicatum est.

LXXXII. Ad tertium de principio Spiritus sancti, respondetur, quod si unio humanitatis facta fuisset in illa ratione principii Spiritus sancti quæ est communis Patri, et Filio, quia uterque secundum illam rationem secundum quam conveniunt, spirant, verificaretur quod ex gra-

tia ratione humanitatis posset illi convenire illa ratio principii, tamen quia de facto non fuit facta unio, nisi in Persona Filii secundum formalitatem Filii, in qua distinguitur a Patre, ideo filiatio dicitur illi convenire ex gratia unionis prout humano ratione humanitatis, non vero ratio principii spirantis Spiritum sanctum formaliter.

LXXXIII. Et quando in sacra Scriptura dicitur, quod in humanitate existens, et homo factus Filius est principium Spiritus sancti, fit sensus specificativus, quia in humanitate non amisit, quod in divinitate habebat, propter hoc tamen non omnia, quæ ibi concomitanter habet possunt dici illi convenire ratione humanitatis, etiam ex gratia formaliter; filiatio vero non est ex concomitantia, sed formalitas, et tamquam terminus in quo formaliter facta est unio humanitatis, importatur.

EXPLICATUR SECUNDA CONditio DE PRÆCEDENTIA.

LXXXIV. Quoad secundam conditionem de præcedentia, notandum est, quod triplex præcedentia reperitur in qualibet prædestinatione. Prima subjecti respectu termini: secunda subjecti respectu actus prædestinationis, quia subjectum, quod prædestinatur ad aliquid, debet præcedere illud, et actionem per quam ad illud ordinatur: tertia, quod prædestinatio præcedit ad suum terminum, quia terminus est quasi effectus ejus. Quomodo autem hæc reperiantur in prædestinatione Christi quoad tertiam, et secundam est facile explicare. De prima quidem, quia prædestinatio ipsa facit hoc compositum Deum esse hominem, et hominem esse Deum, et sic præcedit terminum quatenus formaliter ad illum

terminatur; secunda etiam est facilis, si semel explicetur prima, quia si assignetur subjectum ut præcedens terminum ex vi prædestinationis convenientem, consequenter præcedit ipsam prædestinationem. Tota ergo difficultas consistit in prima præcedentia, explicatur tamen ex his, quæ adduximus ex S. Thoma articulo præcedenti.

LXXXV. Præcipuus locus est, et magis explicativus ille in III, distinct. X, quæst. III, quæstiuncula prima ad primum, ubi inquit: « Prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam unionem, quia filiation non est primus effectus prædestinationis, sed sequitur ad unionem, » ubi clare ponit duplicem effectum, scilicet unionem, et filiationem, et primum præcedentem secundum; tum, quia dixit filiationem sequi ad unionem, et illud sequi præcedentiam alterius ad quem sequitur, significat.

LXXXVI. Quomodo autem hoc inveniat in re, sic explicatur, quia quod prius intelligitur in incarnatione Verbi, est Verbum incarnatum seu humanatum, et post intelligimus hominem deificatum. Itaque prius natura, vel ad minus ratione, factum est, quod Verbum esset suppositum humanum terminando humanitatem, quia in illo priori in quo intelligitur illam terminare, intelligitur quod fit homo recipiendo ab humanitate esse humanum. Ex hoc sequitur, quod illa humanitas assumpta quatenus Verbo terminata fit homo, ille inquam homo est Filius Dei, et debet verificari hæc causalis: Quia Deus factus est homo, homo est Filius Dei, et ly quia denotat posterioritatem sicut in hac: Quia Deus descendit, et exinanivit se, formam servi accipiens, habitu inventus ut homo, ascendit homo ut esset Deus ad esse Dei. Unde Augustinus sermone de nativitate Domini, inquit: « Deus factus est homo, ut homo

fieret Deum, » totum hoc, et istæ causales præcedentiam quamdam significant.

LXXXVII. Ex quo sic formatur ratio: Utsalvetur prædestinatio, sufficit præcedentia secundum rationem inter subjectum, et terminum; sed inter hoc quod est Deum factum esse hominem, et hoc quod homo sit Deus, reperitur præcedentia saltem secundum rationem; ergo datur locus prædestinationi, ita quod potest verificari, quod ille homo possit prædestinari ut sit Filius Dei: et si hoc potest esse, ita factum fuit, quando quidem verba sacræ Scripturæ id sonant. Consequentia patet: Major est principium admissum ab auctoribus oppositæ sententiæ, Durandus, Scotus, Lorca, ut visum est articulo præcedenti, argumento ultimo. Minor ex discursu facto patet propter causales, et prioritatem unius effectus respectu alterius.

LXXXVIII. Quæ prioritas ex sacra Scriptura colligitur. Primus locus, et proprius est ad Romanos I: *Qui factus est ex semine David secundum carnem*, subjunxit Apostolus: *Qui prædestinatus est Filius Dei*. Quem locum adducens S. Thomas hic art. I ad secundum addidit: « Ut daret intelligere, quod secundum hoc, quod est factus ex semine David secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei, » ubi clare a S. Thoma ponitur præcedentia, et ab Apostolo non obscure insinuatur in ipso ordine, et collatione verborum, quia illud participium qui prædestinatus, postposuit ad istud qui factus non solum materialiter, sed denotando præcedentiam, quasi diceret, ille qui jam factus est secundum carnem ex semine David, est prædestinatus, quasi prius intelligeretur filius David, et post filius David intelligeretur Filius Dei. Et quia loquitur in propriis terminis de prædestinatione constat, quod hæc præ-

cedentia est respectu termini prout prædestinati, et etiam prædestinationis, et totum hoc in ordine intentionis.

LXXXIX. Confirmatur ratione desumpta ex aliis locis sacræ Scripturæ. Ad hoc quod cognoscatur quid prius in mente divina, et quid posterius determinatur, cum ex parte Dei totum sit simul, attendendum est ad ipsos effectus, et quando isti sunt supernaturales, qui ex principiis naturalibus non possunt penetrari, recurrendum est ad sacram Scripturam, in qua sunt revelati, sed de hoc mysterio in sacra Scriptura explicatur præcedentia inter hoc quod est Deum esse hominem, et hoc quod est hominum esse Filium Dei; ergo hæc præcedentia sufficit ad hoc, quod unum sit subjectum, et aliud terminus prædestinationis. Patet consequentia, quia hæc præcedentia non potest esse minor, quam secundum rationem cum fundamento in re: sed hæc sufficit ac prædestinationem ut auctores contrariæ sententiæ admittunt; ergo ita factum est in prædestinatione. Patet consequentia, quia de prædestinatione non potest esse alia cognitio, nisi quæ ex sacra Scriptura colligitur, ergo si hæc colligitur, ita sentiendum est.

XC. Quod ita colligatur patet Joan. I: *Verbum caro factum est, vidimus gloriam quasi Unigeniti a patre*, denotando quod ille homo est unigenitus, sed ad hoc præcedit, quod Verbum factum est homo; ergo. Præterea ad Philippenses II inquit Apostolus: *Exinanivit semetipsum*, ubi S. Thomas lectione secunda exinanivit refert ad incarnationem. Subdit Apostolus: *Humilitavit semetipsum, etc. Propter quod Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*, ubi S. Thomas lectione III inquit: « Alio modo de Christo homine (scilicet po-

test exponi) et sic Pater dedit illi homini nomen ut Deus esset, non per naturam, quia alia est natura Dei, et alia hominis, sed ut esset Deus per gratiam, non adoptionis, sed unionis, quia simul esset Deus, et homo, Rom. I: Prædestinatus est Filius Dei in virtute, ille scilicet, qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Et hæc est expositio Augustini secundum intentionem Apostoli; » ubi clare cum Augustino docet S. Thomas esse intentionem Apostoli in his verbis: « Propter quod Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen super omne nomen, quod ille homo esset Deus per gratiam unionis, » et hoc explicat per ly propter, quod scilicet, propter id quod præmiserat; sed non præmiserat nisi exinanitionem sui ipsius, formam servi accipientis, et humiliantis semetipsum, factus obediens usque ad mortem: sed non potest intelligi, quia humiliavit se usque ad mortem est Deus per gratiam unionis, quia sequitur humiliatio postquam est Deus; ergo quod sit Deus non est quia humiliavit se. Restat ergo quod sit quia exinanivit se, et dicere, quia exinanivit se formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et ut homo: *Propter hoc Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen*, hoc est, quod homo ille esset Deus.

XCI. Et hoc refert S. Thomas ad mysterium prædestinationis, ut hoc comprobet ex illo, et verum vero consonet, quod sicut in exercitio: *Exinanivit se factus homo*, et propter hoc Pater dedit illi homini ut esset Deus, hoc idem transfert S. Thomas ad prædestinationem per alium locum: *Qui factus est ex semine David, qui prædestinatus est Filius Dei*; denotando eandem præcedentiam in prædestinatione inter hoc, factum esse hominem, et prædestinatum esse Filium, quam expli-